



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XVII. Soluitur argumentum quintum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

CAPVT XVII.

Soluitur argumentum quintum.

AD QUINTVM de serpente æneo contracto ab Ezechia, respondeo, non mirum esse, si id Ezechias fecerit. Hebræi enim illi adolebant incensum, vt Deo; nam etiamsi adolere incensum non sit necessariò sacrificium, cum videamus in Ecclesia etiam non sacerdotes incensum offerre, idque non solum Deo, sed etiam populo: tamen in lege veteri non licebat, nisi sacerdoti adolere incensum, & proinde sacrificium videtur tunc fuisse. vide 3. Reg. 12. & 2. Paralip. 26.

Præterea Hebræi obliti significationis, propter quam serpentem erexerat Moyses, honorabant illum propter materiam, quomodo cetera idola, hoc est, putabant beneficia sanitarum ab ipso serpente æneo profecto. Id enim indicare voluit Ezechias appellando serpentem **אֲנָלִים**, id est, anulum, vbi diminutiuum ponitur per contemptum; vel, vt alij legunt, **אֲנָלִים**, id est, æs eorum.

CAPVT XVIII.

Soluitur argumentum sextum.

AD SEXTVM argumentum Caluini, sumptum ab experientia, quia Catholici magis frequentant vnã imaginẽ quàm aliam eiusdem rei; & quia precaturi ad imagines accedunt; & quia peregrinantur ad imagines, cum habeant domi pulchriores. Ex quibus ille colligit, nos credere in imaginibus inesse Diuinitatem.

RESPONDEO, vnã imaginem magis frequentari, quàm aliam, propter varias causas. PRIMA, quia Deus per vnã operatur miracula, & non per aliam; quæ etiam causa est, cur magis frequentemus precibus vnum Sanctum, quàm alium. Cur autem Deus hoc faciat, non est nostrum discutere.

SECUNDA causa est, quia quædam imagines pictæ sunt à sanctis viris, vt Luca, Nicodemo, & aliis, aliæ à p̄fanis. Certè autem peculiarem deuotionem merentur imagines, quæ
 non